ARTICVLI,

de quibus in ſynodo Londinenſi anno Domini, iuxta eccleſiæ Anglicanæ computationem, M. D. LXII, ad tollendam opinionum diſſenſionem, & firmandum in uera Religione conſenſum, inter Archiepiſcopos Epiſcoposq; utriusq; Prouinciæ, nec non etiam uniuerſum Clerum conuenit.

Regia authoritate in lucem editi.

Londini, Anno Domini

M. D. LXIII.

Thom. Tanner

ARTICVLI,

de quibus in ſynodo Londinenſi anno Domini, iuxta eccleſiæ Anglicanæ computationem, M. D. LXII, ad tollendam opinionum diſſenſionem, & firmandum in uera Religione conſenſum, inter Archiepiſcopos Epiſcoposq; utriusq; Prouinciæ, nec non etiam uniuerſum Clerum conuenit.

Regia authoritate in lucem editi.

Londini, Anno Domini

M. D. LXIII.

Thom. Tanner

Scdo sic est pctm ad mortē scz pctm qd omittit
ex certa malicia. Primo intelligitur peccatū ad
mortē finalis impnia. q̄ quis in peccato mortali
pseuerat vsq ad mortē. Vn̄ peccatū mortale vsq
ad tp̄us mortis inclusiue ꝓtractū cuius circum-
stantia est finalis impn̄ia. intelligitur vel dicitur
pctm vsq ad mortē. Scdo peccatū vsq ad mor-
tē intelligitur qn̄ quis ex certa malicia peccat. &
vtrūq hoꝝ dicit esse pctm contra spm̄sanctum.
Cuius ratio est. qꝛ spūssanctus charitas est. per
charitatē aūt fit in ecclesia remissio pctoꝝ. & iō
remissio pctoꝝ est effect⁹ appropriatus spūiscto
sm illud ioh. xx. Accipite spm̄ssanctum quorum
remiseritis pcta remittunt eis. Ille igitur dicit
peccare in spm̄sanctum q̄ remissioni peccatoꝝ re-

Sanctam Trinitatem.

VNVS est viuus & uerus Deus, æternus, incorporeus, impartibilis, impassibilis, immensæ potentiæ, sapientiæ ac bonitatis: creator & conseruator omnium tum uisibilium tum inuisibilium. Et in Vnitate huius diuinæ naturæ tres sunt Personæ, eiusdem essentiæ, potentiæ, ac æternitatis, Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

Verbum Dei uerum hominem esse factum.

FIlius, qui est uerbum Patris, ab æterno à patre genitus, uerus & æternus Deus, ac Patri consubstantialis, in utero Beatæ uirginis ex il-

lius substantia naturam humanam assumpsit: ita ut duæ naturæ, diuina & humana, integrè atq; perfectè in unitate personæ, fuerint inseparabiliter coniunctæ: ex quibus est vnus CHRISTVS, verus Deus & verus Homo: qui uerè passus est, crucifixus mortuus, & sepultus, ut Patrem nobis reconciliaret, esset q; hostia non tantùm pro culpa originis, uerum etiam pro omnibus Actualibus hominum peccatis.

De Descensu Christi ad Inferos.

QVemmadmodum Christus pro nobis mortuus est & sepultus, ita est etiam credendus ad Inferos descendisse.

Resurrectio Christi.

CHristus vêre à mortuis resurrexit, suumq; corpus cum carne, ossibus, omnibusq; ad integritatem humanæ

manæ naturæ pertinentibus, recepit, cum quibus in cœlum ascendit, ibiq; residet, quoad extremo die ad iudicandos homines reuersurus sit.

De Spiritu sancto.

SPiritus sanctus, à patre & filio procedens, eiusdem est cum patre & filio essentiæ, maiestatis, & gloriæ, uerus, ac æternus Deus.

Diuinæ Scripturæ doctrina, sufficit ad salutem.

SCriptura sacra continet omnia quæ sunt ad salutem necessaria, ita ut quicquid in ea nec legitur, neque inde probari potest, non sit à quoquam exigendum, ut tanq; Articulus fidei credatur, aut ad necessitatem salutis requiri putetur.

Sacræ Scripturæ nomine eos Canonicos libros Veteris & Noui testamenti intelligimus, de quorum

autoritate

autoritate in Ecclesia nunquã dubitatum est.

Catalogus librorum sacræ Canonicæ scripturæ Veteris Testamenti.

Genesis.	Esdræ. 2.
Exodus.	Hester.
Leuiticus.	Iob.
Numeri.	Psalmi.
Deuteronom.	Prouerbia.
Iosue.	Ecclesiastes.
Iudicum.	Cantica.
Ruth.	Propheræ maiores. 4.
1 Samuelis.	
2 Regum.	Prophetæ minores. 12.
Paralipom. 2.	
3 Sanctis.	

Alios autem Libros (ut ait Hieronymus) legit quidem Ecclesia ad exempla uitæ & formandos mores, illos tamen ad dogmata cõfirmanda non

non adhibet: vt sunt

Tertius & quartus Esdræ.

Sapientia.

Iesus filius Syrach.

Tobias. Iudith.

Libri Machabæorum. 2.

Noui Testamenti Libros omnes (ut uulgo recepti sunt) recipimus & habemus pro Canonicis.

De Veteri Testamento.

TEstamentum vetus Nouo contrarium non est, quandoquidem tam in veteri quam nouo, per Christum, qui vnicus est mediator Dei & hominum, Deus & Homo, æterna vita humano generi est proposita. Quare male sentiunt, qui veteres tantum in promissiones temporarias speraſse confingunt. Quanquam Lex à Deo data per Mosen, quoad Ceremonias & ritus, Christianos

stianos non astringat, neque ciuilia eius præcepta in aliqua Republica necessariò recipi debeãt: nihilominus tamen ab obedientia mandatorum, quæ Moralia vocantur, nullus quantũuis Christianus, est solutus.

Symbola tria.

Symbola tria, Nicænum, Athanasij, & quod vulgo Apostolicũ appellatur, omnino recipienda sunt & credenda. Nam firmissimis scripturarum testimonijs probari possunt.

Peccatum Originale.

PEccatum originis non est (vt fabulantur Pelagiani) in imitatione Adami situm, sed est vitiũ & deprauatio naturæ cuiuslibet hominis ex Adamo naturaliter propagati, qua fit, vt ab originali iustitia quàm longissimè distet, ad malum sua natura

tura propẽ deat, & caro semper aduersus spiritum concupiscat. Vnde in vnoquoque nascentium, iram Dei atque damnationem meretur. Manet etiam in renatis hæc naturæ deprauatio: qua fit, ut affectus carnis, græcè φρόνημα σαρκὸς, (quod alij sapientiam, alij sensum, alij affectū, alij studium, interpretantur) legi Dei nõ subijciatur. Et quanquam renatis & credentibus nulla propter Christum est condemnatio, peccati tamẽ in sese rationem habere Concupiscentiam fatetur Apostolus.

De Libero Arbitrio.

EA est hominis post lapsum Adæ conditio, ut sese naturalibus suis viribus & bonis operibus ad fidem & inuocationẽ Dei conuertere, ac præparare non possit: Quare absque

que gratia Dei, quæ per Christum est, nos præueniente, ut uelimus, & cooperante dum volumus, ad pietatis opera facienda, quæ Deo grata sint & accepta, nihil valemus.

De Hominis Iustificatione.

TAntùm propter meritum Domini ac Seruatoris nostri Iesu Christi, per fidem, non propter opera & merita nostra, iusti corã Deo reputamur: Quare sola fide nos iustificari, doctrina est saluberrima ac consolationis plenissima: ut in Homilia de Iustificatione hominis fusiùs explicatur.

Sola fide

De bonis Operibus.

BOna opera quę sunt fructus fidei & iustificatos sequuntur, quanq̃ peccata nostra expiari & diuini iudicij seueritatem ferre non possunt,

Deo

Deo tamen grata sunt & accepta in Christo, atq; ex uera & uiua fide necessario profluunt, ut planè ex illis, æquè fides uiua cognosci possit, atq; arbor ex fructu iudicari.

Opera ante Iustificationem.

OPera quę fiunt ante gratiã Christi, & spiritus eius afflatum, cum ex fide Iesu Christi non prodeant, minimè Deo grata sunt: neq; gratiam (ut multi uocãt) de congruo merentur: Imo cum non sint facta ut Deus illa fieri uoluit & præcepit, peccati rationem habere non dubitamus.

Opera Supererogationis.

OPera quę supererogationis appellant, non possunt sine arrogantia & impietate prædicari. Nam illis declarant homines non tantùm se

Deo

Deo reddere quæ tenentur, sed plus in eius gratiã facere quàm deberent: cũ aperte Christus dicat: Cum feceritis omnia quæcunq; præcepta sunt uobis, dicite: Serui inutiles sumus.

Nemo præter Christum sine peccato.

CHristus in nostræ naturæ ueritate per omnia similis factus est nobis, excepto peccato, à quo prorsus erat immunis, tum in carne tum in spiritu. Venit, ut Agnus absque macula esset, qui mundi peccata per immolationem sui semel factam, tolleret: & peccatum (ut inquit Ioannes) in eo non erat. Sed nos reliqui, etiam baptizati, & in Christo regenerati, in multis tamen offendimus omnes: Et si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & ueritas in nobis non est.

De

De Lapsis post Baptismum.

NOn omne peccatum Mortale post baptismum uolũtariè perpatratum, est peccatum in Spiritum sanctũ & irremissibile. Proinde lapsis à baptismo in peccata, locus poenitentiæ non est negandus. post acceptum spiritum sanctum, possumus à gratia data recedere atq; peccare, denuóque per gratiam Dei resurgere ac resipiscere. Ideóque illi damnãdi sunt, qui se quamdiu hic viuant, amplius nõ posse peccare affirmãt, aut verè resipiscentibus poenitentiæ locum denegant.

De Prædestinatione & Electione.

PRædestinatio ad uitam, est æternum Dei propositum, quo ante iacta mundi fundamenta, suo consilio, nobis quidem occulto, constanter

ter decreuit, eos quos in Christo elegit, ex hominum genere, à maledicto & exitio liberare, atque ut uasa in honorem efficta, per Christum ad æternam salutem adducere: Vnde qui tam præclaro Dei beneficio sunt donati, illi spiritu eius opportuno tempore operante, secundū propositum eius uocantur: uocationi per gratiā parent: iustificantur gratis: adoptantur in filios: vnigeniti Iesu Christi imagini efficiuntur cōformes: in bonis operibus sanctè ambulant: & demùm ex Dei misericordia perueniunt ad sempiternam felicitatem.

Quemadmodum Prædestinationis & Electionis nostræ in Christo pia consideratio, dulcis, suauis & ineffabilis cōsolationis plena est verè

pijs

pñs & his qui ſentiunt in ſe uim ſpiritus CHRISTI, facta carnis & mẽbra quæ adhuc ſunt ſuper terram mortificantem, animúmque ad cœleſtia & ſuperna rapientem, tũ quia fidem noſtram de æterna ſalute cõſequenda per Chriſtum plurimum ſtabilit atque confirmat, tum quia amorem noſtrum in Deum uehemẽter accendit: ita hominibus curioſis, carnalibus, & ſpiritu Chriſti deſtitutis, ob oculos perpetuò verſari Prędeſtinationis Dei ſentẽtiam, pernitioſiſſimum eſt præcipitium, unde illos Diabolus protrudit, uel in deſperationem, uel in æquè perniti-oſam impuriſſimæ vitæ ſecuritatẽ.

Deinde promiſſiones diuinas ſic amplecti oportet, ut nobis in Sacris literis generaliter propoſitæ ſunt: Et Dei voluntas in noſtris actionibus

nibus ea sequenda est, quam in uerbo Dei habemus disertè reuelatam.

Tantum in nomine Christi speranda est aterna salus.

SVnt illi anathematizandi qui dicere audent, vnumquenque in Lege aut secta quam profitetur, esse seruandum; modo iuxta illam & lumen naturæ accurate vixerit; cum sacræ literæ tantum Iesu Christi nomen prædicent, in quo saluos fieri homines oporteat.

De Ecclesia

ECclesiæ Christi uisibilis est cœtus fidelium, in quo uerbū Dei purum prædicatur, & sacramenta, quod ad ea quæ necessario exigūtur, iuxta Christi institutū recte administrantur. Sicut erravit ecclesia Hierosolymitana, Alexandrina & Antiochena; ita

ria: ita & errauit Ecclesia Romana, non solùm quoad agenda & cæremoniarum ritus, uerum in hijs etiam quæ credenda sunt.

De Ecclesiæ autoritate.

HAbet Ecclesia Ritus statuendi ius, & in fidei controuersijs autoritatem, quamuis Ecclesiæ non liceat quicquam instituere, quod verbo Dei scripto aduersetur, nec unũ scripturæ locum sic exponere potest, ut alteri cõtradicat. Quare licet Ecclesia sit diuinorum librorum testis & conseruatrix, attamen vt aduersus eos nihil decernere, ita præter illos nihil credendum de necessitate salutis debet obtrudere.

De autoritate Conciliorũ Generaliũ.

GEneralia Concilia sine iussu & uoluntate principum cõgregari nõ

possunt, & vbi conuenerint, quia ex hominibus constant, qui non omnes spiritu & uerbis Dei reguntur, & errare possunt, & interdum erra-runt, etiam in hijs quæ ad nor-mam pietatis pertinent: ideò quę ab illis constituuntur, ut ad salu-tem necessaria, neque robur ha-bent, neque autoritatem, nisi ostendi possint è sacris literis esse desum-pta.

De Purgatorio.

Doctrina Romanensiũ de Purga-torio, de Indulgentijs, de venera tione & adoratione tum Imaginum tum Reliquiarum, nec non de in-uocatione Sanctorum, res est futilis, inaniter conficta, & nullis scriptura-rum testimonijs innititur, imo ver-bo Dei contradicit.

Nemo

Nemo in Ecclesia ministret nisi uocatus.

NOn licet cuiq̃ sumere sibi munus publicè prędicandi, aut administrandi Sacramenta in Ecclesia, nisi prius fuerit ad hæc obeunda legitimè uocatus & missus. Atque illos, legitimè uocatos & missos existimare debemus, qui per homines, quibus potestas uocandi Ministros atque mittendi in uineam Domini publicè concessa est in Ecclesia, cooptati fuerint & asciti in hoc opus.

Agendum est in Ecclesia lingua quæ sit populo nota.

LIngua populo nõ intellecta publicas in ecclesia preces peragere, aut Sacramenta administrare, verbo Dei & primitiuæ Ecclesiæ cõsuetudini planè repugnat.

De Sacramentis.

SAcramenta à Christo instituta, nõ tantũ sunt notę professionis Christianorum, sed certa quædam potius testimonia, & efficatia signa gratiæ, atq; bonæ in nos uoluntatis Dei, per quæ inuisibiliter ipse in nobis operatur, nostrámque fidem in se, non solum excitat, uerumetiam cõfirmat.

Duo à Christo Domino nostro in Euangelio instituta sunt Sacramenta, scilicet Baptismus & Cœna Domini.

Quinq; illa uulgò nominata Sacramẽta, scilicet, Confirmatio, Pœnitẽtia, Ordo, Matrimonij, & Extrema unctio, pro sacramentis euangelicis habẽda non sunt, utq; patim à prauа Apostolorũ imitatione profluxe

runt,

runt, partim uitæ ſtatus ſunt in ſcripturis quidem probati, ſed ſacramentorũ eandem cùm baptiſmo & cœna Domini rationem non habẽtes: quomodo nec Pœnitentia, ut quę ſignum aliquod uiſibile ſeu cæremoniam à Deo inſtitutã nõ habeat.

Sacramenta non in hoc inſtituta ſunt à Chriſto, ut ſpectarentur, aut circumferrentur, ſed ut ritè illis uteremur: & in hĩs duntaxat qui dignè percipiunt, ſalutarem habent effectum: qui uerò indignè percipiũt, damnationem (ut inquit Paulus) ſibi ipſis acquirunt.

Miniſtrorum malitia non tollit efficaciam inſtitutionum diuinarum.

QVamuis in Eccleſia uiſibili bonis mali ſemper ſint admixti, atque interdum miniſterio uerbi &

sacramentorũ administrationi præsint, tamen cùm non suo sed Christi nomine agant, eiúsque mandato & autoritate ministrent, illorum ministerio uti licet, cũ in verbo Dei audiendo, tum in sacramentis percipiendis. Neque per illorum malitiam effectus institutorum Christi tollitur, aut gratia donorum Dei minuitur, quoad eos qui fide & ritè sibi oblata percipiũt, quę propter institutionem CHRISTI & promissionem efficacia sunt, licet per malos administrentur.

Ad Ecclesię tamen Disciplinam pertinent, ut in malos Ministros inquiratur, accusentúrque ab hijs, qui eorum flagitia nouerint, atque tandem iusto conuicti iudicio, deponantur.

De

De Baptismo.

Baptismus non est tantùm professionis signum ac discriminis nota, qua Christiani à non Christianis discernantur, sed etiam est signum Regenerationis, per quod tanquam per instrumentum rectè baptismum suscipientes, ecclesiæ inseruntur, promissiones de Remissione peccatorũ atq; Adoptione nostra in filios Dei, per Spiritum sanctum uisibiliter obsignantur, fides confirmatur, & ui diuinæ inuocationis, gratia augetur.

Baptismus paruulorum omnino in ecclesia retinendus est, ut qui cum Christi institutione optimè congruat.

De Cœna Domini.

Cœna Domini non est tantùm signũ mutuę beneuolentię Christianorum inter sese, uerum potiùs est sacramentum

cramentũ nostræ per mortẽ Christi redemptionis. Atque adeo ritè, dignè & cum fide sumentibus, panis quẽ frangimus, est communicatio corporis Christi: similiter poculũ benedictionis, est communicatio sanguinis Christi. Panis & vini transubstantiatio in Eucharistia, ex sacris literis probari non potest, sed apertis scripturę verbis aduersatur, sacramenti naturam euertit, & multarum superstitionum dedit occasionem.

Corpus Christi datur, accipitur, & manducatur in cœna, tantùm cœlesti & spirituali ratione. Medium autem quo corpus Christi accipitur & manducatur in cœna, fides est.

Sacramentum Eucharistiæ ex institutione Christi non seruabatur, circumferebatur, eleuabatur, nec adorabatur.

De

De Vtraque Specie.

CAlix Domini Laicis non est de-
negãdus: utraque enim pars do-
minici sacramenti ex Christi institu
tione & præcepto, omnibus Christi-
anis ex æquo administrari debet.

De unica Christi oblatione in Cruce perfecta.

OBlatio Christi semel facta, per-
fecta est redemptio, propitiatio,
& satisfactio pro omnibus peccatis
totius Mundi, tam originalibus quã
Actualibus. Neque præter illam
unicam est ulla alia pro peccatis ex-
piatio. Vnde missarũ sacrificia, qui-
bus uulgo dicebatur, Sacerdotem of-
ferre Christum in remissionẽ pœ-
næ aut culpæ pro uiuis & defunctis,
blasphema figmenta sunt, & perni-
tiosæ impostoræ.

De Conjugio Sacerdotum.

EPiscopis, Presbyteris & Diaconis, nullo mandato diuino præceptum est, ut aut cælibatum uouerant, aut à matrimonio abstineãt. Licet igitur etiam illis, vt cæteris omnibus Christianis, vbi hoc ad pietatem magis facere iudicauerint, pro suo arbitratu matrimonium contrahere.

Excommunicati uitandi sunt.

QVi per publicam Ecclesiæ denuntiationẽ ritè ab unitate ecclesiæ præcisus est & excommunicatus, is ab uniuersa fidelium multitudine, donec per pœnitentiam publicè reconciliatus fuerit, arbitrio Iudicis competentis, habendus est tanq; Ethnicus & Publicanus.

Traditiones Ecclesiasticæ.

Traditiones

TRaditiones atq; cæremonias eas-dem, non omnino necessariũ est esse ubiq; aut prorsus consimiles. Nã & uariæ semper fuerunt, & mutari possunt, pro Regionum, temporum, & morum diuersitate, modo nihil contra uerbum Dei instituatur.

Traditiones & cæremonias ecclesiasticas quæ cum uerbo Dei non pugnant, & sunt autoritate publica institutæ atque probatæ, quisquis priuato cõsilio uolens & data opera publicè uiolauerit, is, ut qui peccat in publicum ordinem ecclesiæ, quique lædit autoritatem Magistratus, & qui infirmorum fratrum conscientias uulnerat, publicè, ut cæteri timeant, arguendus est.

Quælibet ecclesia particularis, si-

ue

ue nationalis autoritatem habet in ſtituendi, mutandi, aut abrogãdi cæremonias aut ritus Eccleſiaſticos, humana tantũ autoritate inſtitutos, modò omnia ad ædificationẽ fiant.

Tomus ſecundus Homiliarũ, quarum ſingulos titulos huic Articulo ſubiunximus, continet piam & ſalutarem doctrinam, & hŋs temporibus neceſſariam, non minus quam prior Tomus Homiliarũ quę æditæ ſunt tempore Edwardi ſexti. Itaq; eas in eccleſiŋs per miniſtros diligẽter & clarè, ut à populo intelligi poſſint, recitandas eſſe iudicamus.

Catalogus Homiliarum.

DE recto eccleſiæ uſu.

Aduerſus Idololatrię pericula.

De reparandis ac purgandis eccleſiŋs.

De

De bonis operibus.
De ieiunio.
In gulæ atque ebrietatis uitia.
In nimis sumptuosos uestiū appara-
De oratione siue precatione. (tus.
De loco & tempore orationi desti-
natis.
De publicis precibus ac Sacramen-
mentis, idiomate uulgari omnibusq;
noto, habendis.
De sacrosancta uerbi diuini autori-
De eleemosina. (tate.
De Christi natiuitate.
De dominica passione.
De resurrectione Domini.
De digna corporis & sanguinis
dominici in cœna Domini partici-
patione.
De donis spiritus sancti.
In diebus, qui uulgo Rogationum
dicti

dicti sunt, concio.
De matrimonij statu.
De otio seu socordia.
De pœnitentia.

LIbellus de Consecratione Archiepiscoporum & Episcoporum, & de ordinatione Presbyterorum & Diaconorum æditus nuper temporibus Edwardi sexti, & autoritate Parlamenti illis ipsis temporibus confirmatus, omnia ad eiusmodi consecrationem & ordinationem necessaria continet, & nihil habet quod ex se sit aut superstitiosum aut impium. Itaque quicunq; iuxta ritus illius libri consecrati aut ordinati sunt ab Anno secundo prædicti Regis Edwardi, usque ad hoc tempus, aut in posterum iuxta eosdem ritus consecrabūtur aut ordinabuntur rite, ordine, atque legitimè,

statuimus

ſtatuimus eſſe & fore conſecratos & ordinatos.

De ciuilibus Magiſtratibus.

Regia Maieſtas in hoc Angliæ Regno ac cæteris eius Dominijs, iure ſummam habet poteſtatem, ad quam omniũ ſtatuum huius Regni, ſiue illi eccleſiaſtici ſunt ſiue non, in omnibus cauſis ſuprema gubernatio pertinet, & nulli externę iuriſdictioni eſt ſubiecta, nec eſſe debet.

Cum Regiæ Maieſtati ſummam gubernationem tribuimus, quibus titulis intelligimus animos quorundã calumniatorum offendi: non damus Regibus noſtris aut uerbi Dei aut ſacramentorũ adminiſtrationẽ, quod etiam Iniunctiones ab Elizabetha Regina noſtra nuper æditæ, apertiſſimè teſtantur; ſed eam tantùm prærogatiuam

rogatiuam, quam in sacris scripturis à Deo ipso oĩbus pijs Principibus, uidemus semper fuisse attributam, hoc est, ut omnes status atque ordines fidei suæ à Deo commissos, siue illi ecclesiastici sint, siue ciuiles, in officio contineant, & contumaces ac delinquentes, gladio ciuili coërceãt.

Romanus Pontifex nullam habet iurisdictionẽ in hoc regno Angliæ.

Leges Ciuiles possunt Christianos propter capitalia & grauia crimina morte punire.

Christianis licet ex mandato Magistratus arma portare, & iusta bella administrare.

Christianorũ bona non sunt communia.

Facultates & bona Christianorum

non

non sunt cõmunia quoad ius & possessionem, vt quidam Anabaptistę falso iactant. Debet tamen quisque de hijs quæ possidet, pro facultatum ratione, pauperibus eleemosynas benigne distribuere.

Licet Christianis Iurare.

QVemadmodum iuramentum vanum & temerarium à Domino nostro Iesu Christo, & Apostolo eius Iacobo, Christianis hominibus interdictum esse fatemur: ita Christianam religionem minimè prohibere censemus, quin iubente Magistratu, in causa fidei & charitatis, iurare liceat, modò id fiat iuxta Prophetæ doctrinam, in iustitia, in iudicio, & ueritate.

Hos Articulos fidei Christianæ, continentes in uniuersum nouē decim paginas in autographo, quod asseruatur apud Reuerendissimum in Christo patrem, Dominum Matthæum Cantuariensem Archiepiscopū; totius Angliæ Primatem & Metropolitanum, Archepiscopi & Episcopi utriusque Prouinciæ regni Angliæ, in sacra prouinciali Synodo legitimè congregati, unanimi assensu recipiunt & profitentur, & ut ueros atque Orthodoxos, manuum suarum subscriptionibus approbant, uicesimo nono die mensis Ianuarij: Anno Domini, secundū cōputationem ecclesiæ Anglicanæ, millesimo quingentesimo sexagesimo secundo: uniuersusq; Clerus Inferioris domus, eosdem etiam unanimiter & recepit & professus est,

ut

ut ex manuum ſuarum ſubſcriptionibus patet, quas obtulit & depoſuit apud eundē Reuerendiſſimum, quinto die Februarij, Anno prædicto.

Quibus omnibus articulis, Sereniſſima princeps Elizabeth, dei gratia Angliæ, Francię & Hibernię Regina, fidei Defenſor, &c. per ſeipſam diligenter prius lectis & examinatis, Regiū ſuū aſſenſū præbuit.

A.ij. facie. 2. linea. 10. lege. eſſeq́ hoſtia non &c.

Excuſum Londini
apud REGINALDVM
Wolfium, Regiæ
Maieſt. in Latinis
typographum.
ANNO DOMINI. 1563.

sepat aiam a corpe. V̄n augus. xiij. de ci. dei sic
ait. Mors fit cū deus deserit aiam qđ fit p pcm



dabitur ei vita auferendo mortis occasionem · scz
veniale quod occasionalit ducit ad mortē · quia
diminuit feruorez charitatis · vel si sit in peccato
mortali dabit ei vita gratie merito fidei petentis.
Secundo ponitur alia dza gravitatis ibi · & est
pctm ad mortē · quod verbū exponit duobo mo-
dis · scz generalit & specialit · Primo generaliter
sic · est peccatū ad mortē · glo · id est pctm morta-
le · quodlibet quod sepat aiam a deo · sicut mors
sepat aiam a corpe · Vñ augus · xiij · de ci · dei sic
ait · Mors fit cū deus deserit aiam qđ fit p pctm

[illegible] sit [illegible] tum
rone aīmi quo offendit · q[illegible] ex ma-
lignitate aīmi peccat · Vnde pctm blasphemie ē
maius illis pctis que nec cōtra [illegible] · nec ex
maligtate animi fiunt · Peccatum at excusatōis
peccati dicit maximū · q[illegible] aufert remediū [illegible]
ex pte eius q̄ penitere debet remediū aūt [illegible]
accusatio peccatoris & oīmoda cōfessio · vnde sic
accusatio peccatoris signū est penitentie · pver ·
xviij · Iust⁹ in pncipio accusator est sui · ita ex-
cusatio signū est impenitentie · Isaie · v · Ve qui

culatio signū est impenitentie · Ysaie · v · Ve qui